

Q 24

Handwritten text in a Gothic script, likely a page number or title, partially obscured by the binding.



FACULTATIS PHI-
LOSOPHICÆ
IN ACADEMIA LIPSIENSI
DECANUS

BENEVOLUM LECTOREM
ad auscultandam in vigiliâ Pentecostes
ORATIONEM

Ornatissimi Juvenis
GOTHOFREDI BARTHII, Lipsiensis,
officiosè ac peramanter
invitat.

LIPSIÆ,
LITERIS JOH. ERICI HAHNII.





Væ sub Gentilismi tenebris Germanorum veterum fuerit religio, vel ex Cornelii Taciti relatione ad nos pervenit, qui hæc inter alia de iis annotavit *a)*: *Deorum maximè Mercurium colunt, cui certis diebus humanis quoque hostiis litare fas habent. Herculem ac Martem concessis animalibus placant. Pars Svevorum & Isidi sacrificat.* Versa per DEI misericordis gratiam hodiè rerum apud nos illorum posteris est facies. Multitudinem Deorum ignoramus; unum DEUM colimus, personis quidem trinum, sed essentiã simplicissimum. Mercurius, Hercules, Mars, Isis non Deorum, nobis nomina sunt, sed idolorũ, quos juxtã se venerari vetuit DEUS. Non litamus humanis hostiis, sed Hostiam pro humano genere matatam in arã crucis adoramus. Non animalia Numini occidimus; pulchrius est labiorum victimas illi offerre. Dissimillima ergò religio nostra est illi priscæ. Tamen eruditi quidam sunt viri, qui persuasum esse nobis cupiunt, Germaniæ nostræ Sacra hodierna ab illis vetustis non discrepare. *Unicum Deum Thau, inquit Elias Schedius b), Celtae prisci colebant, & tres personas SS. Trinitatis, Hesum Deum Patrem, Belenum Deum Filium, & Tharamin Deum Spiritum S. in uno Thau, i. e. Deo veniebantur.* Ac dicit hæc Schedius quidem, non probat, quasiq; dixisse sufficiat, mox ad alia pergit. Majore cum apparatu causam hanc agit Philippus Cluverius, & in antiquã suã Germaniã integro capiti *c)* hanc summam præscribit: *Priscos Germanos unum verum aeternum Deum in Trinitate coluisse sub Solis, Lunæ, atq; Ignis Numinibus.* Nimirum placuit illi sententia Augustini Steuchi, & Philippi Mornæi, ad quos etiam nominatim provocat *d)*, quorum ille in opere de perenni Philosophiã, hic in libro de veritate religionis Christianæ magno cum sudore mysteriũ SS. Trinitatis in
Ethni-

a) lib. de morib. Germ. p. 339. ed. Lipsii Antverp. 1600. *b)* Syn-
gram. I. de DIs Germ. c. 12. p. 220. *c)* quod est 29. Lib. I. f. 244.
d) citato cap. f. 248. Adde & cap. 25. f. 212.

Ethnicorum Sacris quærent. Nos hîc præferimus de altero Jo. Bapt. Crispi e), de altero Christiani Schotani f) iudicium, & humani aliquid passos agnoscimus eos omnes, quicumque Christum cum Beliale in concordiam redigere laboraverunt. Ergò ut Cluverii doctrinam admiramur in aliis, ita in isto conciliationis negotio neutiquam sequimur. Et verò quis æquo animo legat ista, quæ scribit g): *Celtas nostros atq; in his maximè Germanos & Gallos -- summum æternumque THEUTH b) trinum in unitate, & unum in Trinitate professos esse?* Putabimus ergò in illâ caligine non modò divinarum *ἱεροσύνη* Trinitatem eos vidisse, sed etiam in hac Trinitate Unitatem essentiæ, h. e. rem humanæ rationi, nisi cœlitus illuminetur, incredibilem, credidisse? Abripuit profectò doctissimum hominè vel inventi no-

A 3

vi i)

e) de Ethn. cautè leg. distrib. I. lib. 2. f. 36. — *quod ad satietat em usq; fecerunt alii, qsi de perenni Philosophiâ scripsere, (pepercit nomini Autoris,) qsi ipse qsiibus adeò placuit nostra & vera dogmata ad gentilium sensus potius referre, qm ipsos ex nostris confutare, ut panè pudor sit videre ipsos præ dulcedine non semel aut bis, sed centies lacrymari volentes.* f) Heptæm. p. 311. Passus est se abripi zelo ostendendæ Christianæ veritatis summus vir Philippus Mornæus, cum putavit eadem esse illa, quæ Philosophi, & Christiani docent de SS. Trinitate. g) f. 244. h) hoc nomine Deum verum eos coluisse existimat c. 9. f. 82. Verùm hîc à Cluverio rectissimè dissentit Lambec. lib. 1. Prodr. Hist. lit. c. 7. f. 58. nec negabit violentissimam esse expositionem Cluverii, quisquis ipsam contulerit cum verbis Taciti non longè ab init. lib. de Mor. Germ. *Celebrant (Germani) carminibus antiquis Tuistonem Deum terrâ editum, & Filium Mannum, originem Gentis, conditoresq;e. Manno tres filios assignant, è quorum nominibus proximi Oceano Ingæones, medi Hermiones, lateri Istæones vocentur.* Tuistonem Interpretes cæteri hominem intelligunt, qui post Noachi diluvium stirps fuerit Germanorum; Cluverius (f. 81.) Mercurium, quem Ægyptii ΘΕΤΘ, Hispani Galliç; *Teutatem* appellaverint, h. e. (f. 82.) cœli terræq; conditorem DEUM: in eo interim aberrasse fatetur Germanos (f. 83.) quòd ipsum Deum terrâ editum crediderint. Mannus ipsi Adamus est, sed ubi tres ejus filii demonstrandi sunt, Adami filios, Cainum, Abelum, Sethum intelligi ne ipsi quidem Cluverio placet. (f. 84.) Itaq; & Adamum vult hic à priscis Germanis cum Noacho, & orbis terrarum divisionem à tribus Noachi filiis factam cum divisione Germaniæ confusam fuisse: pro Semo autem, Japheto & Chamo, Istævonem Ingævonem, & Hermionem priscos Germanos vocavisse. Si hanc interpretandi licentiam sequimur, quæ non portenta fabularum undecunq; exsculpemus?

22



vi i) amor, vel in gentem nostram affectus, cum talia mitteret in
calamum. Age omittamus illam in tribus personis ineffabilem
unitatem. Tres ipsas personas quomodo nobis in Majorum Religi-
one demonstrat? Jul. Cæs. locum advocat, de Germanis veteribus
ita scribentis k) *Deorum numero eos solos ducunt, quos cernunt, & quo-
rum opibus apertè juvantur, Solem & Vulcanum, & Lunam: reliquos
ne fama quidem acceperunt.* Sciendum in initio, Cæsari Tacitum con-
tradidit, qui & plura tribus, & alia memorat Germanorum Numi-
na: Mercurium, Herculem, Martem, Isidem l). Quibus ex eodem
Tacito, Religionem Reudignorum, & Nabarvalorum, (nam & hi
sunt in Germanis) memorante m), Herthum quoque, se Terram,
Matrem, Castorem item, & Pollucem addere licebit. Quòd si cum
Eliâ Schedio n) Scythas etiam eosdem habemus cum Germanis, in
cumulum nominatorum accedent ex Herodoto o); Vesta insuper
cum Jove, Tellure, Apolline, ac Venere cœlesti. Quæ quidem ipse
Schedius *πολυωνυμίας* beneficio cogens in angustiorem numerum,
haud pauciores tamen quinque deprehendit p), Mercurium puta,
Martem (cui & Vulcani nomen competat) Apollinem (seu Solem)
Jovem, Venerem (quæ eadem sit Herthus, Vesta, Luna, Isis q). Tran-
seat Herodotus. In Latinorum duorum dissidio potior esse nobis
debet fides Taciti. Vixit enim Cæsare posterior, atque adeò iis tem-
poribus, quæ Romanis paulò plenior nostræ Gentis notitiam af-
ferre potuerunt r). Nec aliter Cluverius, ubi hanc pugnam confide-
rat s) ut utriusque veram fidamque narrationem efficere potest,
quàm si quis hæc Cæsaris falsa expugnat verba: *reliquos ne famâ qui-
dem acceperunt.* At qui si comma hoc, tanquam inimicum veritati
dele-

i) c. 22. f. 189. ubi fundamenta velut hujus ædificii struit, pollicetur no-
bis pleraq; nota, nec facile aliis annotata. k) lib. VI. de bello Gallico c. 27.
p. m. 158. l) locum initio dedimus lit. a. m) p. m. 347. & 348. n) I. de
DIs. Germ. 4. p. 61. o) in Melpomene, Textum ejus Schedius d. l. affert.
p) p. 63. q) Quid est, quod Herculem hic omisit Schedius, memoratum ta-
men Tacito? An oblitus est fortè illum cum Vulcano & Morte conflare, quod
Cluverius faciet lit. u. An studiò præterit, ut quem negat primitus adora-
tum à Celtis fuisse, statuat duntaxat in ejus honorem posuisse contentis?
Syngram. III. c. 2. p. 476. r) Igitur Tacito contra Cæsarem haud obscure
hic adstipulantur Andr. Althamerus Comment. in Tac. Germ. p. 184. & Jo.
Brant. in Cæs. de Bell. Gall. p. m. 456. in eundem autem Glandorpius p. 144.
vel Cæsarem non omnia scivisse, vel Germanos interjecto temporis spatio
plures Deos recepisse credendum pronunciat. s) c. 26. f. 218.

deleamus, & è Tacito Germanos plurimum Deorum, quam trium-
 conscios faciamus, quomodo Trinitatis illud arcanum constabit sibi?
 Nempe non semper meminerat omnium vir doctus, quæ semel scri-
 pisset: nisi forte rationibus suis in eo putavit consuli posse, quod sta-
 tim sequitur s), ubi rem quasi à Macrobio t) inchoatam continua-
 turus asserit, *omnia deorum nomina ac numina ad unum pertinere So-
 lem, dearum verò ad Lunam, sicq; & Celtas nostros, & omnes sensisse
 gentes.* Sed neq; hoc præsidium satis est firmum, aut consentaneum
 causæ. Fiet enim hoc pacto, ut non quatuor tantum illi Germano-
 rum Dii, quorum nomina Tacitus extulit, Mercurius, Hercules,
 Mars, Isis, aut si Terram Matrem cum Castore ac Polluce his adjun-
 gamus, Dii septem, sed etiam tres alii, quos è Cæsare cognoscimus,
 ad binarium Solis ac Lunæ redigantur: præsertim cum Vulcanum,
 Cluverius eundem esse statuatur cum Hercule & Marte u), hos autem
 duos Macrobius, cuius deprecari auctoritatem hinc isti non licebit,
 apertè referat ad Solem x). Enimverò pessimè cohærent illa, quæ
 cum dictis concessit vir eruditus, *ea ipsa varia Solis Lunæq; vocabula
 ad unum verum æternumq; Deum esse referenda, quem in unitate trinum,
 in trinitate unum veneramus y).* Nam si maximè Deos omnes in So-
 lem, deas omnes in Lunam cogamus, quomodo in his duobus,
 (utiq; non sunt plures,) trinitatem habeamus, non video. Condone-
 mus hoc etiam homini de literariâ re aliàs præclarè merito, & ut ali-
 quo commento fulciamus aciem ipsius labantem, fingamus quic-
 quid deorum est Dearumq; gentilium partim cum Sole, cum Lunâ
 partim, partim deniq; cum aliquo tertio planetâ, qui fortasse non
 invito Cluverio erit Mars z), aut etiam cum igne conflari oportere:
 ne quidem sic eò deducta res est, ut credamus, quod ipse opinatur
 a), *priscos Germanos unum verum, æternum Deum in trinitate co-
 luisse, sub Solis, Lunæ atq; Ignis numinibus.* Nec enim Solis, Lunæ, Ignis
 vocabulo aliud quid ipsi, & quicumq; gentilium honorem Creatori
 ereptum transtulerunt in has creaturas, intellexere, quam quod ver-
 ba sonant. Audiamus tamen, quid pro se dicat Cluverius: unum,

A 3

inquit;

s) f. eod. | t) J. Saturn. 17. seqq. ubi ostenditur, omnes deos referri ad
 Solem. u) toto cap. 28. fol. 240. seqq. Confer, quæ lit. q. è Schedio diximus:
 x) I. Saturn. 9. & 20. y) Cluver. d. l. f. 218. z) quandoquidem Vulcanus,
 quem Cæsar à Sole pariter & Luna distingvit, Cluverio idem est cum Marte,
 ut lit. patuit: quanquam hoc illi neutiquam assentitur Vossius ll. de orig.
 idol. 66. f. 29. a) supra lit. c. ex inscriptione cap. 29.

inquit, b), in tribus personis ipse Deus primo eorum (Germanorum) Patri Manno (hunc Adamum c) esse interpretatur,) sese manifestaverat, hic verò filios, nepotesq; suos edocuerat. Scimus Adamum in religione verâ perstitisse, idemq; ut sui facerent, laboravisse. Sed Cainum is ipse, contrâ quem disputamus, autor est maledictione à Deo ob fraternam cadem acceptâ, Deum ut invisum infestumq; statim reliquisse, moxq; à Diabolo impulsus fuisse, uti à Conditore ad rei condita veneratorem sese converteret, hâc insusurratâ opinione, eum qui cunctarum rerum fuisset auctor & opifex, cœlestia maxime curare, terrestria autem atq; humana permisisse diis inferioribus, filiis suis; hos autem Deos esse ipsa sidera, solem, lunam & ceteras stellas: hos igitur Deos esse venerandos; hanc pestiferam opinionem non soli sibi habuisse Cainum, sed filiis nepotibusq; tradidisse d): porrò si de temporibus cataclysmû consecutis loquamur, postquam ex arcâ egressi sint Noachi filii horumq; uxores, mox ad pristinam illam idololatriam, quâ omnis terra ante eluvionem erat repleta, unum vel alterum delabi potuisse: quin satis hoc certum esse debere in Chamo; ab uno autem Chamo ejusq; postea liberis in omnem Noachi posteritatem, ante etiam lingvæ primæva confusionem, disseminatam esse abominandam istam pestem: unde omnes, contempto Conditore suo vero Deo, unanimi consensu in terram Schinar profecti turrim præaltam ædificare aggressi sint: quâ Deum re graviter ostensum lingvam eorum confudisse, ipsosq; in universum disperxisse terrarum orbem; illos idololatriam unâ secum transportasse: hinc postmodum omnes per universum terræ orbem gentes unos eosdemq; veneratos esse Deos, Solē, Lunam, Saturnum, Jovem, Mercurium, Martem, Venerem, Minervā, Vulcanū, Herculem & alios e). Nihil aliud ergò faciendū hâc nobis, nisi ut suis Cluverium verbis jugulemus. Quid enim? adeone idem sunt illi, verum Deum in trinitate colere, & abominandâ idololatriâ peste correptum venerari tot sidera? At, inquit f), antiqvâ Satanæ illusionem unâ cum reliquis mortalibus circumducti majores nostri trinam divinitatem rebus à vero æternoq; Deo conditis attribuerunt, Soli, Lunæ, ac Vulcano, ita ut Solem intelligerent esse Deum Patrem, Lunam Deum Filium, Ignem Deum Spiritum S., quia horum maxima erat omnibus in rebus virtus atq; potestas. Verum utcunq; opinionem suâ pingat vir disertus, non efficiet, ut qui Satanæ fraudibus circumventi, in Sole, Lunâ, & igne

b) dicto cap. f. 244. c) respice ad lit. h. d) c. 25. f. 213. e) ibid. f. 216. 217. f) iterum cap. 29. f. 244. 245.

igne tres Deos venerantur, eos unum verum Deum ita coluisse intel-
ligamus. Jam unde probabitur, Germanus sub sole Deum Patrem,
sub Lunâ Filium, Spiritum S. sub igne veneratos? Aliò plane verba
nos Taciti vocant, qui ait g), solos habitos Germanis fuisse deos,
quos cernerent: Divinitatis autem certè personam nullam cerne-
bant. Solem, Lunam, Ignem cernebant: horum in se beneficia ma-
nu palpabant: in his ergò acquiescebant, altiùs levare mentem non
poterant. Ita enim est, justissimo Dei judicio ad eum profanitatis
gradum gentes non paucas impulerat Cacodæmon, ut plenissimam
divinitatis mensuram sideribus inesse omninò sibi persuaderent, Soli
inprimis atque Lunæ: quibus ut ignem adjungerent, vel cognatio
eos movit, quæ cum istis facibus huic lucernæ intercedit, vel eximia
elementi fortissimi utilitas. Nec alia mens vetustissimorum fuit,
Ægyptiorum, quorum idolomaniam in cœlestem veritatem trans-
formare frustra conatur Cluverius. Cui nec magis in eo fidem ad-
hibebimus, quòd *reliquum etiam mortalium genus initio in Sole Lunâ
ac Vulcano trinitatem unius veri Dei veneratum esse*, pergit. Quo-
modo verò? Juvat in pauca rem contrahere, quæ propè omnis pendet è
mythologiâ Gentilium de Vulcano, quem Jovis ac Junonis conju-
gio natum sciscebant. Similem enim in modum & Spiritus S. à Pa-
tre Filioq; , h. e. si Cluverium audimus, à Jove ac Junone, seu quod
perinde, à Sole ac Lunâ procedit. Jam igni quoq; , cujus symbolum
Vulcanus, comparatur ille Spiritus, qui Apostolorum linguas flam-
marum instar divisit. Hic profecto vereor, ut patientibus animis
legere Theologi possint, quæ de Jove ac Junone differit autor, cum
hunc Macrobii h) locum protulisset: *Juno & Soror Jovis, & conjux
vocatur. Est autem Juno aër, & dicitur soror, quia iisdem seminibus,
quibus cælum, etiam aër est procreatus; conjux, quia aër subjectus est cæ-
lo. Quæ differit, hæc sunt: Cælum heic intelligit Jovem. Jupiter igi-
tur cum sit aternus ille ΘΕΥΣ, sive ΖΕΥΣ, sive ΘΕΟΣ, sive DEUS; rectè
Junonem interpreteris Dei aterni Filium Jesum Christum, qui iisdem se-
minibus, quibus pater, ab aeterno exstitit: unde etiam non soror, sed fra-
ter potius Dei patris videri poterat, quia illi æquævus erat. Subjectus item
eidem verè dicitur, non ut conjunx, sed ut filius. De his ergò Cluveri-
anis sensibus judicium ferant Theologi, qui non minùs opinor, pie-
tatem in iis requirunt, quàm philosophorum aliquis judicium in hoc*

toto

g) suprâ lit. a. h) è lib. I. in somn. Scip. 17.

to *Thuvio*. Sed vetat angustia chartæ effundere omnia, quæ
afferre promptum erat: fieriq; de hac re non levis conjectura pote-
rit è dicendis de Vulcano. In quo certum habemus nihil minus oc-
culuisse Gentiles, quàm Spiritum S. Etenim referri numen hoc debet
ad ignem, eumq; elementarem *i)*, cujus usum in metallis atq; arte
fabrili demonstrasse legitur Vulcanus *k)*. Quapropter eruditi *l)*
simul vocis Latinæ augurio persuasi, eundem esse hunc arbitrantur
cum Tubalcaino, quem fuisse malleatorem & fabrum in cuncta ope-
ra æris & ferri prodidit Moses *m)*. Jove autem ac Junone satus perhi-
betur, quia ignem elementarem oriri crediderunt Jove in Junonem,
h. e. calore cœlesti in aerem agente *n)*. Quæ quis non videt commo-
diùs dici, quàm si Jovem Dei patris, Junonem Dei Filii simulacrum
gentilibus fuisse opinemur, ut eos in Vulcano Spiritum Sanctum co-
luisse conficiamus? Nec juvabit Cluverium illa Divini Spiritûs cum
igne comparatio, & in Apostolos sub specie hujus elementi effusio.
Sanè posteaquam prima Novi Testamenti Pentecoste divinum hunc
ignem Apostolorum capitibus insidentem habuit, Ecclesia vera cir-
cumspicere cœpit varias rationes cõferendi cum igne Spiritû S.: quin
& illud Christi *o)* huc applicuerant quidam *p)*: *Ignem veni mittere in
terram*. Vetustissimas autè Paganorû nationes quis credat eorû præ-
fensionem habuisse, quæ post multa demùm secula essent vel à Salva-
tore prædicenda, vel implenda in ejus discipulis? Omittamus ergò il-
lud consilium, horrendâ Vulcani & infernalibus flammis similiorè *q)*
fornacem de beatissimo Igne interpretandi. Sinamus hîc res habere
suas Cluveriû, & digniores Spiritu S. meditationes afferamus in celi-
britatè festi Pentecostalis. Faciet hoc dilectus nobis ob doctrinâ & pro-
bitatè Juvenis *Gothofredus Barthius Lipsiensis*, qui Sanctû Spiritû cum
igne cõparandi planè aliâ rationè ingressus super hoc argumêto, mane
craftino, horâ octavâ *ὀκτώθεω* perorabit. Ut audire dicentem velint Ma-
gnificus Academiæ Rector, Facultatû omnium Proceres, aliiq; Honora-
ti Viri, rogamus universos; Juvētutis Studioſæ præsentia vel ultroneâ
nobis pollicentes. PP. Lips. propriid. Pentec. 20. Maji A. 1670.

i) Vid. Voss. II. de orig. idol. 66. f. 328. *k)* vid. Natal. Com. II. mythol. 6. p. m. 97. 99. Voss. I. de orig. Idol. 16. fol. 65. *l)* Id. ibid. Chytræ. in c. 4. Genes. f. 70. & 71. Selnecc. part. I. Postill. Dom. V. post fest. Epiph. p. 657. Sched. I. de DI. Germ. 4. p. 65. Borrich. de art. & progr. Chem. p. 9. & 62. *m)* Gen. 4. 22. *n)* Vide Phurnut. de nat. Deor. c. *ὡς τὸ ἵφαι* Natal. Com. II. mythol. 6. p. 107. Voss. II. Idol. 66. f. 329. & respice ad lit. *o)* Luc. 12. 49. *p)* apud Ursin. Sylv. Theol. symbolic. n. 67. p. 120. *q)* pertinent huc ollæ Vulcani. de quibus Crus. Part. II. Svecic. Lib. V. c. 5. f. 155. & alii.

DD A 6358

ULB Halle 3
002 920 387




Sb.

Reho ✓ 10/17

511 R





INDEX



FACULTATIS PHI-
LOSOPHICÆ
IN ACADEMIA LIPSIENSI
DECANUS

BENEVOLUM LECTOREM
ad auscultandam in vigiliâ Pentecostes
ORATIONEM

Ornatissimi Juvenis
GOTHOFREDI BARTHII, Lipsiensis,
officiosè ac peramanter
invitat.

LIPSIÆ,
LITERIS JOH. ERICI HAHNI.

